



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De distinctione & ordine decretorum diuinorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

certum est esse ab æterno scientiam in Deo, eorum omnium quæ sunt futura, illa scientia cum sit scientia visionis præsupponit decretum, ergo illud decretum est æternum in Deo. Deinde si Deus in tempore inciperet aliquid velle quod ab æterno non voluisset, non esset in Deo perfectissima providentia; perfectior enim providentia est quæ omnia digerit simul, & omnia consilia sua habet expedita, quam quæ per partes decernit: imò imperfecta est providentia quæ nescit ea quæ factura est, & ita (vt dixi) ex Apostolo colligitur *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem vt essemus sancti. Loquimur sapientiam in mysterio, &c. Quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.*

Dico secundò, nullum est Dei decretum quod non sit omnino immutabile, quamvis illud ab æterno potuerit non esse. Ita etiam lumine naturæ notum est.

Ratio autem est, quam olim attuli, quia quamvis posset Deus in tempore velle id quod noluit, vel nolle quod voluit sine mutatione vlla physica in ipso Deo, sicut ab æterno potuit sine physica mutatione transire à statu indifferentiæ ad statum determinationis, hoc tamen non posset fieri sine vitio leuitatis, & inconstantia, quæ in Deum non cadunt, apud quem non est mutatio nec vicissitudinis obumbratio.

Solutio
difficultatis.

Ad rationem dubitandi superius dictum est, Deum in quolibet instanti temporis esse prius natura indifferentem absolute, quam velit agere quamvis ex suppositione quod prius se determinauerit, non sit amplius indifferens: illam autem suppositionem absolute loquendo semper potest tollere, quamvis ex suppositione determinationis libera, non possit tollere. Ad argumentum igitur dico, volitio libera eo instanti quo est prius natura potest non esse, antecedenter, & absolute loquendo concedo, consequenter, & ex suppositione liberè posita, nego. Deus enim absolute consideratus semper habet indifferentiam, sed ex suppositione illam non habet, & illam suppositionem tollere absolute potest, non ex suppositione. Immutabilitas enim non est adæquata causa, cur non possit amplius tolli, sed determinatio libera voluntatis immutabilis est causa cur non possit amplius tolli.

Neque dicas illam suppositionem tolli non posse à voluntate immutabili semper enim redit distinctio, consequenter concedo, absolute nego. Neque valet argumentum de amore beatifico quem aliquis incepisset liberè, priusquam esset beatus; eius enim conservatio nullo modo esset libera, quia eius causa non est actus prius liberè elicitus, sed visio interveniens causat illam necessariò, & reuera illam causaret, quamvis non esset prius causata, unde illa suppositio nullo modo pendet à libertate, in actu autem Dei necessitas consequens oritur à sola voluntate, atque ita semper cum ea manet libertas.

SECTIO III.

De distinctione ac ordine decretorum divinarum.

Cum vnicus, & simplicissimus in Deo sit actus, nulla realis potest esse distinctio vel ordo inter Dei decreta, sed ad summum distinctio & ordo secundum nostrum modum intelligendi; tunc enim distinctio erit inter decreta, quando intelligi à nobis poterit decretum de vno obiecto, quin intelligatur decretum de alio; tunc erit ordo, quando intelligatur vnum decretum, vt prius alio, & quasi ratio alterius.

Distinctio
decretorum.

Ratio ergo dubitandi primò est, quia non pos-

sunt distingui Dei decreta, nisi ex distinctione obiectorum ad quæ terminantur decreta, sed non distinguuntur ex diuersitate obiectorum, nam sæpè Deus per vnicum decretum vult multa obiecta sicut in nobis sæpè vnus actus voluntatis terminatur ad plura, ergo decreta Dei non possunt villo modo distingui.

Neque dicas, tunc plura esse decreta quando vult plura obiecta per modum plurium, tunc esse vnum quando vult plura obiecta per modum vnius.

Sed contra, vt plura obiecta volita sint à Deo per modum plurium, debet in rerum natura dari aliquid quod non daretur, si obiecta illa essent volita per modum vnius, sed nihil omnino datur, vel in Deo, vel in ipsis obiectis, ergo vanum est dicere quod Deus velit illa obiecta, vel per modum vnius, vel per modum plurium.

Secundò, si esset ordo aliquis inter Dei decreta, ita vt vnum concipi deberet vt prius altero, deberet dari aliqua ratio, & radix illius ordinis, & prioritatis, non potest vlla dari ratio aut radix; vel enim illa radix esset maior propinquitas mediorum ad finem, vt putat Scotus, & hoc dici non potest, quia Christus propinquior est gloriæ Dei, quam salus hominum, & tamen Deus vult Christum propter homines: vel illa radix est dependentia sola obiectorum secundum se, quod etiam verum esse non potest, vt contra Vasquez probant Suarez disput. 5. de incarnat. Herice, Ribas, & alij, quia sæpè nullam obiecta inter se habent connexionem ex sua natura, sed ex sola Dei voluntate, & contra sæpè possunt esse obiecta subordinata ex sua natura, quin à Deo vnum volitum sit propter aliud.

Eorum
ordo.

Neque dici tertio potest, quod illa radix sit dependentia, quam habent obiecta vt volita, redit enim argumentum superius, vt inter obiecta provt volita, sit aliqua dependentia, debet dari aliquid in rebus quod non esset, si non esset talis dependentia, sed nihil prorsus est, vel in Deo, vel in obiectis, ergo, &c. Deinde potest dari causalitas inter obiecta vt volita, quin tamen deur ordo prioris, & posterioris inter decreta Dei; nam finis causat media vt patet, & tamen intentio finis sapissimè neque ratione distinguitur, neque prior est electione mediorum, vt dicitur disput. 5. ergo inter obiecta vt volita potest esse ordo, qui tamen non erit inter decreta.

Tertio, illa prioritas & distinctio se tenet tantum ex parte obiecti voliti non autem ex parte Dei volentis, ergo non est ordo & distinctio decreti, sed solum denominatio extrinseca.

Dico primò, quotiescunque Deus vult vnum obiectum, vel multa obiecta per modum vnius toties vnicum est numero decretum, quando autem vult multa obiecta per modum plurium, tunc sunt multa numero decreta, ratione distincta. Ita omnes tamen veteres tum noui Theologi, quos malè deserunt, & in suas partes trahere nituntur nuperus author libri de priori, & posteriori, & nouus etiam doctor subtilissimæ Theologiæ.

Quando
nam decreta
sint distincta.

Ratio est, quia multa tunc sunt decreta ratione distincta, quando intellectus habet fundamentum concipiendi vnum decretum non concepto alio, sed quando Deus vult multa obiecta per modum plurium, intellectus habet fundamentum concipiendi vnum decretum non concepto alio, nam velle plura per modum vnius, est velle plura provt inter se sunt connexa, verbi gratia velle vnum provt causat aliud, velle autem plura vt plura, est velle illa provt nullam dicunt inter se connexionem, v.g. velle Petrum, & Paulum, sunt duo decreta: velle autem animam, & eius potentias non sunt duo decreta, sed vnicum: velle Petri sanitatem,

sanitatem, & velle illius gloriam duo sunt decreta: velle autem sanitatem propter gloriam vnum est decretum. Imò tunc in Deo sunt duo decreta per rationem distincta quando respondent actibus distinctis voluntatis creatæ, sed quando Deus vult plura sine connexionem inter illa, decretum illud respondet pluribus decretis voluntatis creatæ, ergo tunc sunt plura decreta, & ob hanc causam, vt ostendam infra, intentio finis, & electio mediorum, in Deo sunt aliquando actus distincti per rationem, quando scilicet Deus vult, absolute finem per aliqua media quæcunque tandem illa sint, non enim vult finem vt connexum cum talibus medijs, neque media vt connexa cum tali fine, vult enim tunc plura, vt plura. Aliquando autem intentio & electio sunt vnum numero indiuisibile decretum, quia Deus vult finem & media, vt inuicem connexa, ita vt non velit finem nisi per talia media, neque velit media nisi propter talem finem, tunc enim vult plura per modum vnius, & hoc pro sequenti questione de prædestinatione valde notandum erit, sicut & quod sequitur de ordine inter Dei decreta.

Quomodo
vnum sit
alio prius.

Dico secundò, inter libera Dei decreta datur ordo aliquis & prioritas non realis sed virtualis tantum, & per rationem: atque ita in diuinis decretis plura distinguere licet signa rationis, contra duos auctores nuper citatos.

Ratio est, quia tunc datur ordo virtualis, & prioritas per rationem quando intellectus habet fundamentum concipiendi vnum decretum prius quam aliud sed habemus fundamentum concipiendi vnum Dei decretum prius quam aliud, sicut scientiam concipimus vt priorem volitione, quod probò, tunc intellectus concipit vnum decretum vt prius altero, quando vnum decretum præsupponitur ab altero, sed vnum decretum præsupponitur ab altero, sicut decretum præsupponit scientiam, ergo sicut scientia est prior decreto, sic vnum decretum est prius altero. Denique quero vtrum Deus prius res videat vt possibiles per scientiam simplicem, quam vt futuras per scientiam visionis vtrum prius debeat concipi velle permittere peccatum quam velle illud punire, prius videre peccatum Iudæ quam illum reprobare. Possuntque alia congeri ex quibus manifestè patet posse cum fundamento in re concipi à nobis vnum decretum esse alio prius.

Breuitè igitur sic arguo vt concipiantur in Deo plura decreta & vnum alio prius sufficit vt sit distinctio, & dependentia non mutua in obiectis & fundamentum ex parte Dei, cum Deus permittit peccatum Iudæ, decernitque illud punire, est distinctio & dependentia non mutua inter peccatum & pœnam, ex parte autem Dei est æquialentia, nam actus infinitus Dei æquialent actibus distinctis, ergo possunt à nobis concipi plura in Deo decreta, tota ergo difficultas est circa propriam radicem illius prioritatis decretorum.

Radix hu-
ius ordi-
nis.

Dico tertio, tunc vnum decretum per rationem est prius altero, quando vnius obiectum prout est volitum, ita causat obiectum alterius decreti vt ab eo non causetur verbi gratia vult Deus solem propter hominem, & non contra, tunc prius vult hominem quam solem: tunc autem vnum decretum est alio posterius, quando vnius obiectum prout volitum causatur ab obiecto alterius decreti, & illud non causat. Tunc autem duo decreta sunt simul, neque inter illa est ordo prioris, & posterioris, quoties obiectum vnius decreti non causat obiectum alterius decreti, nec ab eo causatur prout volitum, vel certè causat illud & ab eo causatur.

Ratio est, quia nulla potest assignari alia radix huius prioritatis quam prioritas inter obiecta prout volita vt rectè ostenditur in ratione dubitandi, non

Tom. I.

enim petitur ex maiori propinquitate obiecti ad finem, nec ex obiectis secundum se, cum sæpè obiecta non sint inter se connexa nisi ex Dei voluntate.

Tantum manet difficultas in primo & secundo argumento proposita, quid sit nouum in rerum natura, quando Deus vult plura vt plura, quod non sit, quando Deus vult plura per modum vnius: vel etiam quid sit noui, quando obiectum vnius decreti prout volitum, causat obiectum alterius decreti. Quid inquam sit illa connexio, vel causalitas obiecti vt voliti, quæ non ponit aliquid vel in Deo qui est immutabilis, vel in obiectis quæ manent immutata intrinsecè, dicunturque solùm mutari per denominationem ab actu diuino.

Sed hoc totum soluebam quæst. 2. cum ostenderem circa quos actus libera esse possit voluntas diuina, & ordinare media eadem ad varios fines, eo quod talia media per hanc finem Dei ordinationem moraliter mutari dicantur; actus enim ille Dei propter infinitatem æquialent actui cuiuscunque creaturæ, & sine mutatione in se ipso facit mutationem moralem in obiecto. Quod idem locum omnino habet in casu proposito, vbi Deus vult plura vt plura, & vnum obiectum vult causari finaliter ab altero, sufficit enim ad hæc omnia mutatio moralis facta in obiectis, & causata per actum diuinæ voluntatis infinitum in genere actus.

Addebatur in fine secundi argumenti, posse obiectum vnius decreti causari vt volitum ab obiecto alterius decreti, quin derur inter illa decreta huiusmodi ordo & prioritas, hoc enim concedebam in tertia conclusione. Si enim obiectum vnius decreti sic causet, vt non causetur ab obiecto alterius decreti tunc decretum illud est distinctum ab altero, & est illo prius, si autem ita causet vt etiam causetur, tunc decretum vnum nec est altero prius, nec est distinctum per rationem ab altero; quia idem est actus quo Deus vult plura vt connexa inter se quod est velle illa per modum vnius.

Ad tertiam, nego illam prioritatem rationis esse solùm in obiectis, est enim etiam in ipsis actibus quos cum fundamento in re potest intellectus concipere vt distinctos, & subordinatos, cum vnus intelligatur esse ratio alterius & præsupponi ab altero.

Neque dicas manifestum hic esse circulum, nam obiecta dicuntur subordinata & connexa prout volita, id est per decretum diuinum, & decretum dicitur prius per ipsum obiectum.

Respond. enim, nullum hic esse circulum, vbi effectus cognoscitur per causam, & causa per effectum; subordinatio enim obiectorum tunc est effectus decreti diuini, & decretum diuinum vt illius causa cognoscitur per subordinationem obiectorum tanquam per aliquid posterius, & ab eo causatum.

SECTIO IV.

Sanctitas, & virtutes voluntatis diuinæ.

CEtum est primò, esse in Deo propriissimè, dictam sanctitatem, quæ non est aliud, quam perfectissima voluntatis diuinæ adæquatio cum æterna lege, ac ratione increata, est autem sanctitas illa infinita simpliciter secundum omnem modum & secundum omnem perfectionem sanctitatis.

Deum esse
sanctum.

Primò, dixi Deum esse propriè ac verè sanctum, quod si alia omnia silerent, dicunt sanè imò intensissimè voce clamant duo Seraphini, coram throno Dei, neque cessant die ac nocte dicere, imò non semel sed ter, imò millies alternant *sanctum*. Et quasi nihil scirent, nihil viderent, aut mirarentur in Deo aliud in quo vident omnia clamant *sanctus*. Patet enim sanctissimum necessariò Deum esse, quia sanctitas est adæ-

Q. 1

quatio.